



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 251. Quia erat parasceue. v. 42.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

CHriste Iesu tu es corona Virginum, quia te sequuntur quocunque ieris, te singulariter amat deuotus fœmineus sexus & colit. Ita prophetatum de te in psalmo Adducentur Regi virgines post eam (scilicet Mariam primam: voto castitatis perpetuæ tibi obstructam) proximæ eius adducentur tibi. Ecce quod psalmista prædixit, in Euangelio, impletum lego, glorifico igitur te ô veritas sancta, quæ hæc quoque hodie in Ecclesia Romana verum esse demonstras.

§. 250. *Et cum iam sero esset factum. v. 42.*

Duplici sensu, nimirum in Horizonte Ierosolymitano, in quo sol ad occasum vergebat; & in vniuerso mundo in quo iam princeps mundi victus, incipiebat sentire se esse victum, cum iustitiæ sol, de cœlo Christus Deus noster, occubisset per mortem & ad inferos descendisset, expolians potestates. Sane valde sero erat, & haud dubie ringebant & fremebant dæmones quod ipsimet per suas suggestiones, & immisionem in cor Iudæ, & manus & ora Iudæorum ac gentilium seruorum suorum sibi hoc malum inflixissent, & occidendo iustum, in quem non habuissent potestatem, omnes vna sorte amisissent subiugatos. Sane sero sapiebant, & sero erat valde.

DEus meus, gaudeo & gaudet omnis chorus fidelium, quod superbissimos spiritus ita dextre de potestate sua eiecisti, vt ipsi adiuuarent strenue te in eo bello in quo essent vincendi, ita vt in omni sua astutia, agnouerint, sed sero, se esse prostratos. Tu es igitur Triumphator in Israel, tu es victor inferni. Salue festa dies, toto venerabilis æuo, qua Deus infernum vicit & astra tenet.

§. 251. *Quia erat parasceue. v. 42.*

Iam dixerat tempus physicum diei, & morale, in quo occubuit vincens Dominus, iam indicat & diem mortis Christi & depositionis è cruce & sepulturæ nempe diem Veneris seu Feriæ sextæ, ea enim erat Parasceue Sabbati, qua præparabant Iudæi quæ sabbato opus erunt, & in ipso sabbato agere vel tractare non licebat. nam parasceue, verbum est Græcum, significans Latine præparationem, quo nomine vtiebantur & Iudæi qui inter Græcos morabantur. Quia ergo sexta die homo factus est, septima autem die conditor ab omni opere suo requieuit, recte Saluator sexta die crucifixus humanæ restaurationis impleuit arcanum. Sabbatho autem in sepulchro quiescens resurrectionis quæ octaua die ventura erat, expectabat euentum.

Deus